

*Margherita di Sinopoli
rinuncia all'eredità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Margherita di Sinopoli
rinuncia all'eredità*

1280-03-06

In nomine Domini Iesu Christi Amen. Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, sexto die mensis martii, undecime indictionis, apud Sanctam Christinam regnante Domino nostro, Domino Carolo excellentissimo Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, et Principatus Achaie, Andegavie, Provincie, Folcalquerii et Tornadori Comite, regnorum vero suorum Hierusalem anno octavo, Sicilie octavo decimo feliciter Amen

Nos Sergius amalfitanus, et Dominicus de Capua Iudices Terre Seminarie, Ioannes de Chondataro publicus eiusdem terre Notarius, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter, et rogati per praesens publicum instrumentum notum facimus universis, tam praesentibus quam futuris, quod nobilis mulier Domina Margarita Domina Sinopolis quondam Domini Carnelevarii de Pavia in nostra praesentia constituta, personaliter consentiens prius in nos predictis Iudices, et Notarium tamquam in suos, cum ex certa scientia sciret nos suos non ea coram nobis asseruit dicendo quod cum presens [dira et dura] guerre Sicilie hominum exigente malitia peccaminum velut succensa in Calabrie partibus, predictam terra sua Sinopolis ad manus Aragonentium ostium, Sacro Sancte reverende Romane Mater Ecclesie, ac Domini Caroli, Hierusalem, et Sicilie Regis illustris presertim cum potentie ipsorum ostium, predicta Domina prout dixit resistere nequivisset quamodo considerando predicta Domina Margarita quod praedicta Terra sua Sinopolis hereditario iure spectat, et spectare dignoscitur, sicut dixit, ad nobilem Virum Dominum Henricum Ruffum de Calabria legitimum filium suum suosque haeredes et successores voluit, ex

nunc praedicta Domina vivens Iure Romanorum eidem filio suo tam de iure quia ipsi spectat terra praedicta qua pro gratitudine habens respectum nihilominus ad multa bona, et grata servitia que sibi dictus filius eius liberaliter attulit, et conferre poterit in antea Deo dante facta donatione inter vivos iure proprio libere simpliciter, et irrevocabiliter donavit, concessit, tradidit, et assignavit predicto domino Henrico filio suo, suisque Heredibus, et successoribus in perpetuum predicta Terram suam Sinopolis sitam et positam in Iustitieratus Calabrie cum omnibus, et singulis iuribus, et rationibus ad praedictam Terram Sinopolis spectantibus, et pertinentiis suis, videlicet terris cultis et incultis, vineis, olivetis, nemoribus, pascuis, molendinis, Villanis cum omnibus iuribus, et rationibus ad predictam terra Sinopolis spectantibus, et que de iure et antiqua consuetudine ad eandem Terram spectare noscantur, et cum accessibus et terminis suis omni iure et ratione, usu seu requisitionem ex praedicta Terra Sinopolis aliquo modo, vel que in ea Terra pertinent et spectant pro eorudem nobis bene placuit salvo per omnia servitio consueto et debito Regie Curie pro terra ipsa Sinopolis. Quod quidem Terra Sinopolis predicta Domina Margarita eundem Dominum Henricum filium suum de nomine suo constituit possidere ... corporalis eiusdem terre acceperit possessione quam accipiendum cum sibi auctoritate Dominio se facultas obtulerit auctoritate sua propria, et liberandi deinceps licentia, et potestate omnimodum ei contulit, tradidit, atque dedit ad habendum, tenendum, et possidendum pro se, suisque Heredibus, et successoribus in perpetuum, et quicquid sibi suis heredibus et successoribus deinceps placuerit facturum, et promisit eadem Donatrix predicto filio

suo domino Henrico Ruffo de Calabria pro se, suisque Heredibus, et successoribus stipulatio hanc donationem in eam liberaliter collatam, ratam, et firma perpetuo habere, atque tenere nec eam ingratitudinis causa vel modo aliquo seu ingenio revocare, nec ipsum aut suos Heredes, et successores ex predicta Terra Sinopolis per se, vel submissa persona in iudicio, vel extra iudicium molestare sub poena Unciarum auri trecentorum Regie Curie persolvendarum me predicto Notario pro predicta Curia stipulari, et poena ipsa soluta sive non predicta omnia, rata semper maneant, atque firma iuravit, et coram nobis predicta domina Margarita ad Sancta Dei Evangelia corporaliter prefato iuramento eandem predicta donatione sua aliquo modo non infringere sed perpetuo eam habere ratam, atque firmam. Renuncians super hoc beneficio restitutionis in integrum, et cuilibet ingratitudini, atque consuetudinis quibus posset lex mulieribus subvenire, omnique exceptionis legitime canonice, et generaliter omnia iure tam canonice, quam civili scripto, et non scripto, actione subsidiaria in factura per dicta Domina Margarita contra predicta vel aliquo predictorum possit venire certificate de huiusmodi iuribus per nos predictos Iudices et Notarius, aliosque Iurisperitos nunc personaliter existentes. Prefatus Vir Dominus Henricus promisit predictae Domine matris sue quod recuperata predicta terra Sinopolis a manibus ostium predictorum, et pace adveniente in Regno prout possibile fuerit, et facultas dabitur sibi, sueque compitenti familie victum, et vestitum convenientum.

In cuius rei testimonium ei predicti Domini Henrici, et suorum Heredes, et successorum cauthela factum exinde presens publicum instrumentum scriptum, et

subscriptum per manus mei predicti Notarii publici, nec non predictorum Iudicem, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, nec non et pendente sigillo predictae Dominae Margarite donatricis munitum. Datum apud Sancta Christinam anno, die, mense, et indictione premissis. Adsunt subscriptiones amborum iudicum et notariis nec non tredecim testium. [Ego Sergius amalfitanus qui supra iudex instrumenti predictis interfui, et me subscripsi. Ego Dominicus de Capua qui supra iudex se... testor. Ego Riccardus de ... predicta interfui et me subscripsi. Ego Palmerius de Tetis predictis interfui et testis. Ego Petrus Malarbi predictis interfui, et testis sum. Ego Petrus de Tetis predicti interfui, et rogatus testor. Ego Andreas de Roto testor. Ego Ioannes de Iudice Nicolao testor. Ego Robertus de Notario Nicolao testor. Ego Notario Nicolao Buccafurno testor. Adest subscriptio greca. Ego Nicolaus de ... testor. Ego Nicolaus de Palmerio testor. Ego Thaleus de Crisafio interfui et me subscripsi. Ego Ioannes de Cannataroqui supra Notarius predicto scripsi, et me rogatus. Adest signum.]